

157.

Schiffen.

157.



V

0011

(alt. Nr. 393.)

Sammelband von 57 Schriften theol.,
philos. u. jurist. Inhalts.
v. Meier, J. Th.

P. VII. 89.



DISPUTATIO METAPHYSICA
DE
NECESSITATE ET CONTIN-
GENTIA,
QUAM

SUB PRAESIDIO
CLARISSIMI VIRI,
M. IOHANNIS HOMBORGII
PHYSICÆ PROFESSORIS OR-
DINARI

In Academia Iuliâ

VII KL. Iunias

publico examini subijcit

BERNHARDVS Böhmer
Cellensis.



HELMÆSTADI,
Typis HENNINGI MULLERI acad. typ.

CIO IO C XLVII.



Plurimum Reverendo, Clarissimo, Excellentissimo
VIRO,

DN. MICHAELI VVALTHERO SS.
Theol. Doctori longè celeberrimo, per ducatus comitatusque Cello-Lunæburgicos Superintendenti generalissimo, Consistorij ecclesiastici, quod Cellis est, Assessori gravissimo,

VT ET
Amplissimis, Consultissimis, Clarissimis prudentissimisq; Viris,

DOMINIS
Consulibus, Syndico omnibusque ac singulis Reipublicæ Cellensis Senatoribus meritissimis,

Patronis ac Promotoribus suis summâ observantiâ colendis

Exercitium hoc academicum
dedicat & offert

BERNHARDVS Böhmer Cellensis
Aut. & Resp.





Σὺν Θεῷ.

Thesis I.



Vi doctrinam de Necessitate & Contingentiâ pertractant; multa quidem scitu difficilia, sed necessaria tum ad dignè sentiendū de Scientiâ Dei; tum etiam ad plures alias quæstiones difficiles Theologicas de Gratiâ, Prædestinatione & Libero Arbitrio expediendas, hîc tradere solent. Quæ omnia etsi mihi hac de materia disputaturo itidem tractanda essent; tamen exploratis ingenij & judicij viribus, id ipsum polliceri nec audeo, nec possum. Interim verò cum præ cæteris hanc doctrinam mihi explicandam & disputandam elegerim, ea nunc duntaxat, quæ tum è prælectionibus clarissimorum virorum, Præceptorum meorum; tum ex optimis Philosophis pro captu meo notata & collecta mihi sunt, publicæ disquisitioni subjecturus sum; paratus semper veriora docentem sequi.

II. Ens reale nominale quâ tale esse objectum adæquatum primæ Philosophiæ, commune creatori & creaturis, substantiis & accidentibus, nunc supponimus. Ejus item objecti sive scientiæ dari sua principia, probatur tum ex naturâ demonstrationis, quæ nullibi haberi potest, nisi ubi adsint domestica principia; tum ex ipsâ naturâ & quidditate sapientiæ, ejusq; conditionibus nonnullis *Metaphys.*

cap. 2 enumeratis ; tum denique ex ipso Philosopho sub
initium & finem sexti Metaphysicorum. Idem quoque ob-
jectum habere suas affectiones seu attributa, disertè adfir-
matur IV *Metaph. c. 1* & XI *c. 3*.

III. Affectionum verò seu Attributorum entis alia
sunt Simplicia, alia Disjuncta: Illa sine disjunctiōe, hæc
appositâ disjunctiōe cum ente recipiuntur. Disjuncto-
rum porro alia mediatè alia immediatè ex naturâ entis
promanant: atque illa mediante uno aliquo attributo
Simplici cum ente recipiuntur; cujusmodi sunt Simplex
vel Compositum, idem vel Diversum, Universale vel Sin-
gulare, Finitum vel infinitum, Perfectum vel imperfectum.
Hæc non mediante uno aliquo attributo Simplici cum en-
te recipiuntur; qualia sunt esse Potentiâ vel actu, Princi-
pium vel Principiatum, Causa vel Causatum, Necessa-
rium vel Contingens.

IV. Verum de Necessitate & Contingentiâ acturos
oportet ante certos esse, an sit aliquid in rerum naturâ,
quod dicatur Necessarium & Contingens; & simul osten-
dere ex quonam principio hæc doctrina arcessenda sit.

V. Supponendum autem est, quod aliàs in Meta-
physicis demonstrari solet, Omne ens esse vel Causam vel
Causatum. Nam si causa est; vel ita est causa, ut sit caus-
fata ab alio, vel à nullo. Quod in causando est sim-
pliciter & absolutè independens & à nullo alio causatum,
id respectu sui esse, est simpliciter, absolutè & independen-
ter necessarium; & tale ens est unum, nempe Deus. Quod
autem in causando est dependens, id quidem est causa
aliorum, ipsum tamen est causatum ab alio: & hoc vel de-
pendet in causando immutabiliter ad unum tantum op-
positum determinatum, & est Necessarium; vel dependet
mutabiliter, ut ad utramque contradictionis partem se
æquè

æquè indifferenter habeat, estque Contingens. Hinc fit manifestum, doctrinam de Necessario & Contingente oriri ex doctrina de causis. Idque sic breviter ostenditur. Quicquid est causa vel causatum, id est vel Necessarium vel Contingens; quia causa necessariò vel contingenter causat, & effectus necessariò vel contingenter est causatus. Sed omne ens est causa vel causatum; ergo vel est Necessarium vel Contingens.

VI. Antequam verò progrediamur, unum hunc scrupulum lubet eximere, quem nonnulli nobis hîc iniiciunt, nimirum Necessarium & Contingens non immediatè opponi, sed inter utrumque dari medium aliquod, videlicet liberum. Sed non est tanti, quod opponunt, ut ideo à veritate recedere necesse habeamus. Nam Contingens potest dupliciter accipi, *primò* quod neque est Necessarium neque impossibile: quo sensu Arist. *l. 1 prior. c. 13* accipit; & dicitur, quod cum non sit Necessarium, eo tamen posito, non sequitur impossibile; & est illud, quod si est, potest non esse; & si non est, potest esse. *Secundò* quod dependet à causa incertâ & indeterminatâ, quemadmodum contingentes tantum dicuntur effectus fortuiti & casuales. Iam respondeo liberum sub Contingente priori modo sumto contineri, idque sic ostendo: quia liberum illud dicitur, quod tam hoc quàm opposito modo se habere potest: ut quod ego jam scribam, hoc liberum mihi est; poteram enim non scribere. Itaque quicquid non magis hoc, quàm opposito modo se habere potest, illud est Contingens, aut sub Contingente continetur: nam si uno tantum modo se habere posset, esset Necessarium. Sed liberum non magis hoc quàm opposito modo se habere potest; ergo est Contingens, aut sub Contingente continetur.

VII. Demonstrato hoc, quod liberum non sit medium inter Necessarium & Contingens, facile nunc probari potest, quod duo hæc medium nullum admittant. Nam Necessarium est, quod non potest se aliter habere; Contingens verò est, quod potest se aliter habere. Non posse vero se aliter habere, & posse se aliter habere, termini sunt contradictorij, inter quos dari medium nequit; igitur Necessario & Contingenti medium non interponitur.

IIIX. Necessarium verò Philosopho v Metaph. c. 5. quadrupliciter dicitur, *primò*, sine quo tanquam concausâ aliquid esse non contingit; ut nutrimentum animali est necessarium, quia sine alimento vivere non potest. *Secundò*, sine quibus bonum esse vel fieri; sive mali aliquid repellere aut eo privari non contingit: ita vinum dicitur necessarium ad restringendam sitim, cum non nisi utile sit & fieri quoque possit cerevisiâ, aquâ &c. *Tertiò*, quod dicitur violentum, illud est necessarium; non quidem ratione immutabilitatis in essendo, sed coactionis in agendo. Unde Arist. dicit loco cit. *Et vis necessitas quadam est, & videtur inevitabile quiddam esse.* Ἐναντίον γὰρ τῆ κτ' ἀγκαίρεσιν κινήσει καὶ κτ' τὸν λογισμὸν. *Quartò* accipitur pro eo, quod non contingit aliter se habere, & id necesse dicimus ita se habere & secundum hoc necessarium cætera quoque omnia dicuntur quodammodo necessaria. Atque sic nobis Necessarium Philosophus describit, significaturus, quod hoc modo necessarium est, entitatem seu essentiam immutabilem habere,

IX. Necessarium porro dividi solet in Complexum & Incomplexum; illud in enunciationibus consideratur & ad Logicum pertinet, estque duplex *formale* vel *materiale*. *Formale* cum prædicatum jungitur subjecto per modum Necessæ, & appellatur enuntiatio modalis; & de eo agitur libro

libro *ἑρμηνείας*, non habitâ ratione veritatis aut falsitatis in re. *Materiale* in post. Analyticis à Philosopho explicatur tribus notis, quæ sunt *καὶ παντός, καθ' αὐτὸ καὶ καθόλου πρῶτον*, hujusque doctrinam duobus libris eruditè persequitur Zabarella. Verùm nos hîc de Necessario & Contingente incomplexo tamquam de disjunctâ entis affectione acturi, nunc consideramus, quomodo entia in rerum naturâ sint, necessariò vel contingenter; & an effectus à causis suis producti, necessariò vel contingenter existant.

X. Monemus quoque Necessarium & Contingens sumi vel in concreto, ut significant & subjectum, quod est; & modum quo est: vel in abstracto, ut tantû & præcisè dicant modû essendi vel causandi; nempe an res necessariò vel contingenter existat, an necessariò vel contingenter causet vel causetur; atque hic modus est affectio entium & propriè dicitur Necessitas & Contingentia, & jam est nostræ considerationis.

XI. Sciendum autem est, Necessitatem aliam absolutam esse, aliam ex hypothesis: illam, quæ nullo habito respectu ad quicquam aliud, & nullâ itidem interveniente dependentiâ, ex se & suâ naturâ talis sit; istam, quæ præsupponat aliud se prius, à quo dependeat & quantum necessitatis participat, habeat & acceperit. Quod itaque necessitate absolutâ necessarium est, ab alio se priore non dependet, sed à seipso suum esse habet, non per positivam originem & emanationem; & quia sine emanatione ab alio habet suum esse, ideo per hanc negationem volumus declaratam positivam & simplicissimam perfectionem summi entis. Hoc enim simplicissimum ens, ita in se & essentiâ suâ includit existentiam, ut eam à nullo accipiat: atque hujusmodi perfectionem omnibus creaturis prorsus denegamus. Quod itaque simpliciter & absolutè necessarium est

est, id numquam in potentia fuit: quod enim aliquando in potentia fuit, illud prærequirit agens, cuius virtute est potentia in actum eductum fuerit, cum nihil seipsum est potentia in actum educere possit. Quin quod ab alio educitur in actum, id ab eo suum esse accipit & aliud se prius habet. Si igitur necessarium est, ex hypothesi hujus efficientis necessarium erit. Si verò numquam fuit in potentia, nullam quoque prærequirit causam efficientem, nullam quoque se priorem habet; atque sic nec causatus est, nec ab alio causari potuit: nedum ut suo esse umquam privari possit à semetipso vel ab alio.

XII. Quemadmodum verò ab alio esse suum non habet; ita ab alio conservari in esse suo necesse non est; atque sic dicitur ex se esse, & non-esse illi omninò repugnat. Iam hæc omnia nulli alij enti competunt nec tribui possunt aut debent, præterquam soli isti summo, infinito & independenti, quod Deus dicitur & est: isthæc enim omnia Deo magis intrinseca & essentialia sunt, quam homini esse animal. Ab alio enim nec dependet, nec umquam fuit in potentia, & ideo nullo modo ab alio causatus est. Hinc ex essentia & existentia sive ex potentia & actu minimè est compositus. Hinc solum verè audit & est actus purissimus, maximè alienus ab omni defectu & imperfectione. Hoc ens causam nullam habet, sed cæterorum omnium causa est summa & prima. Hoc ab alio non dependet, sed hoc solum independens est. Solum itaque hoc ens simpliciter & absolute & independenter necessarium est.

XIII. Cætera verò omnia præter hoc ipsum, non ita sunt necessaria, sed contingentia: si nimirum id Contingens cum Philosopho *1 prior. c. 12* appelles, quod potest se aliter habere seu non esse, h. e. quod essentiam mutabilem habet: ubi de mutabilitate intrinsecâ non extrinsecâ

fecâ loquimur. Sed uti hæc omnia suum esse ab alio habent, ita potuerunt non habere & consequenter non esse; & uti nunc sunt, ita ab eo, ubi ei ita visum fuerit, annihilari possunt.

XIV. Hæc igitur necessaria sunt ex hypothesi, atq; aliquam contingentiam habent nunc magis nunc minus. Sic substantiarum finitarum præstantissimæ perfectissimæque potuerunt ante sui productionem non produci & non esse; sicuti revera quoque antequam producerentur, non fuerunt: aut postquam nunc liberè productæ sunt, quamvis suâ naturâ omnis interitûs expertes sint; possunt tamen à primâ causâ, si ita ei visum fuerit, destrui & in nihilum redigi.

XV. Porro quæ dependenter & ex hypothesi necessaria sunt, eò quòd prima causa ea esse & quidem talia esse voluerit; eorum alia ita necessaria sunt, ut intrinsecè & per naturam suâ non possint non esse, vel suo esse, quod semel acceperunt, privari à causis naturaliter agentibus idq; amittere; proinde quò plus necessitatis & minus contingentia habent, eò magis à non-ente ad summum ens ascendunt: alia verò eorum etsi in rerum naturâ existunt; tamen esse suum perdere possunt, & ideo quò plus contingentia & minus necessitatis habent, eò magis à summo ente ad non-ens declinant.

XVI. Cæterum hinc non colliges, quod necessariò est & non potest non-esse, necessariò agere & non posse non-agere: sicuti hinc pariter colligi nequit, quod contingenter est & potest non-esse, contingenter agere & posse non-agere. Nam non posse non-esse summæ perfectionis est; proinde quò magis unumquodque necessariò est, eò perfectius esse habet; & quò perfectius habet esse, eò perfectiorem potentiam agendi: hæc enim illud supponit & arguit.

B

At

At non item perfectionis semper est, non posse non-agere: nam qui necessario agit, tantum potest agere: sed qui liberè agit, potest & agere & non-agere: jam plus potest, qui potest & agere & non-agere, quam qui tantum potest agere. Vtrumque verò posse agere & non-agere in potestate liberè agentis positum est; idcirco *To posse non-agere* positivè hîc accipi debet non negativè, hoc enim imperfecti-
onis foret.

XVII. Suppositâ & expositâ jam causâ quoad esse suum, an necessario vel contingenter existat; subjungere libet, quomodo effectum producat necessario vel contingenter: atque ita necessitatem & contingentiam in essendo necessitas & contingentia in causando vel in agendo excipit. Effectuum verò necessitatem & contingentiam in singulis causarum generibus contemplaturi, à causis internis doctrinam hanc ordiemur: alia enim necessitas ab internis, alia ab externis oritur.

XIX. A causis internis, Materiâ & Formâ, oritur Necessitas cum *Definitionis*, per quam rei tribuuntur, quæ eam in suo esse necessario constituunt; tum *Demonstrationis*, per quam rei conveniunt, quæ per se essentiam ejus necessario consequuntur. *Prior* necessitas est, per quam partes essentielles insunt definito: nam substantia composita constat ex materiâ & formâ. Si igitur existit, materiam & formam habeat necesse est; ut homo habet animam rationalem & corpus organicum. Quare hujusmodi compositum si posueris, materiam & formam simul poni necesse est, quæ essentiam ejus constituunt & definitionem ingrediuntur. Sicuti verò ijs positis & unitis inter se, compositum ponitur; ita iisdem dissolutis, compositum dissolvitur & perit. Atque hæc necessitas tanta est, ut siingas oppositum, fiat implicatio contradictionis, nec ideo per Dei
poten-

potentiam mutari possit; proinde rectè vocatur *Necessitas immutabilis*. Nam definitionem aliquam posse esse, cui suum definitum non respondeat; vel definitum aliquod esse posse, quod definitionem non habeat, absurdum est; verbi gratia, impossibile est, ullum esse animal rationale, quod non sit homo; & contrà impossibile est, ullum esse hominem, qui non sit animal rationale. *Posterior*, nempe Demonstrationis necessitas est, per quam propriae affectiones suis subjectis competunt vel ratione *materia*; uti omni corpori inest quantitas, raritas, densitas, motus; vel ratione *forma* quæ pro diversitate suâ diversas species constituit, & singulis quoque diversas suas dat proprietates. Hæc verò necessitas multum abit à priori; quia hæc per infinitam Dei potentiam immutari potest. Nam omnino statuimus, huiusmodi proprietates, quæ vera accidentia sunt & necessitate quadam Physicâ & naturali, non tantum nostro concipiendi aut intelligendi modo, sed à parte rei revera fluunt ex principijs essentialibus sui subjecti, per infinitam Dei potentiam posse verè & realiter separari & divelli à suis subjectis. Nam huiusmodi proprietates subjectorum suorum definitionem nec ingrediuntur, nec eorum esse constituunt, sed ijs jam in esse suo constitutis superveniunt, & ideo ut quid posterius à parte rei nascuntur ex subjecto ut priori, tamquam veri effectus ex sua causâ efficiente. Huiusmodi igitur proprietates per infinitam Dei potentiam possunt separari & divelli à suo subjecto. Et certè si rem penitiùs introspeciamus, tum huiusmodi proprietates à materiâ & formâ oriuntur tanquam à causâ efficiente; proinde non est hîc necessitas causæ materialis vel formalis, sed potiùs efficientis. Nam etsi per resultantiam naturalem & emanationem à suis subjectis emanant; tamen per veram efficientiam & veram actionem producuntur.

cuntur. Quicquid enim à subjecto per veram efficientiam
producitur, id ab eo producitur per veram actionem; at
hujusmodi proprietates à suo subjecto producuntur per
veram efficientiam; ergò hujusmodi proprietates ab eo
producuntur per veram actionem: minor inde patet, quia
ad aliud genus causæ quàm efficientis ista dependentia re-
ferri nequit: major sic probatur, quia illa vera efficientia
nihil aliud est, quàm vera causalitas efficientis, per quam
efficiens actu est & fit causa. Minus itaque mirum vide-
bitur, si materia aut forma divinitus prohibeantur & im-
pediantur, quo minus suos effectus naturaliter producant
& efficiant; quos aliàs sibi & suis viribus connaturalibus
relictæ naturaliter producerent & efficerent.

XIX. Nunc ab internis pergamus ad causas exter-
nas, Finem & Efficientem. Finem non causare nisi ante
ab intellectu cognitum & representatum, notius est ex
doctrinâ causæ finalis, quàm ut multis hîc inculcari &
moneri necesse sit. Mover enim & excitat per bonitatem
cognitam, ut ea adpetat, eligat & exsequatur, quæ faciunt
fini consequendo. Verùm etsi finis, qui est bonum secun-
dum se & absolutè conveniens, necessariò sui amorem &
desiderium excitat; non tamen item necessariò efficit in-
quisitionem & consultationem de medijs eorumvé ele-
ctionem. Si verò spectes executionem seu usum medio-
rum activum, tum ex suppositione finis eorum alia simpli-
citer necessaria sunt: si enim ponas finem, necesse est pone-
re ea omnia, sine quibus finis nullo modo acquiri & habe-
ri possit, quibusque sublatis, rem illam, propter quam ut
finem sunt, tolli necesse sit; sic omni animali sanguineo ad
vitam necessaria est respiratio; hac enim sublatâ, vivere
desinit. Quare si vis finem, nempe ut animal superstes ma-
neat, necesse quoque est ut aërem attrahat. Alia verò
eorum

eorum necessaria sunt necessitate expediendiæ, non quòd sine his finem nullo modo consequi possis, sed quod tam commodè aut expedite non possis; proinde hæc talia faciunt ad meliùs esse. Ita ad flumen commodè transeundum necessaria est navis aut pons; ad iter conficiendum currus aut equus; ad frigus arcendum ignis aut vestis. Quantus & qualis sit hic Necessitatis gradus, facile vides: nec enim simpliciter & absoluta est necessitas; cum à suppositione finis oriatur; quem nisi esse velis & supponas, ne ipsa quidem rei erit entitas, nedum ut ejus sit qualiscunq; necessitas.

XX. A causa finali nunc progredimur ad Necessitatem & Contingentiam, quæ est à causis efficientibus. Harum perfectissima & prima est Deus, qui per intellectum & voluntatem operatur. Ejus verò intellectus & voluntas non sunt hujusmodi potentiæ, quales in nobis, quæ intellectionem & volitionem ex se eliciunt & elicitas in se recipiunt; alioquin in Deo imperfectionem arguerent & ei utpote actui purissimo repugnarent, sed habent se ad modum actus ultimi & purissimi. Præterea si intelligere & velle causæ primæ sunt aliquid aliud distinctum ab ipsius essentia, utique aliquid aliud esset ipse actus & perfectio essentiæ divinæ, ad quod se haberet substantia divina sicut potentia ad suum actum: id quod cum Simplicitate ejus perfectissimâ consistere nequiret. Quare ejus intelligere & velle sunt esse ejus.

XXI. Sicut verò ad ejus esse non datur potentia vel receptiva vel productiva, ita nec ad ejus velle. Igitur in causa prima non datur potentia intelligendi vel volendi, sed intellectio & volitio per essentiam. Hinc Thomas ait *par. 1. q. 14. a. 4.*, quod in Deo intellectus intelligens, & id quod intelligitur, & species intelligibilis, & ipsum intelligere sint omnino unum & idem, h. e. ipsum ejus esse.

B 3

XXII. Por-

XXII. Porro si perfectionis est clarè, evidenter & perfectè cognoscere omne verum & scire omne scibile, eo modo quo in se est aut esse potest; utique primæ causæ talis scientia meritò debetur & tribuitur: cujus enim absentia & negatio imperfectionem argueret, illud utique de ejus necessitate esse rectè putatur. Nam imperfectiones, quæ cum scientia humanâ vel angelicâ conjunctæ sunt, non pertinent ad formalem rationem scientiæ quatenus talis, quæ hic abstractissimè sumitur, prout est præcisa à creatâ & increatâ, solumque generatim significat claram, evidentem ac perfectam cognitionem, seu perceptionem veritatis seu objecti scibilis, sive illa perceptio fiat per qualitatem, sive per substantiam, sive cum effectione & receptione, sive absque hujusmodi imperfectionibus. Scientia verò hæc etsi in se est una & simplex, & idem quid cum essentia ipsius; respectu tamen objectorum secundariorum & conceptuum nostrorum inadæquatorum distingui solet in *Scientiam Naturalem*, seu *simplicis intelligentiæ*; *Scientiam liberam* seu *visionis* & *Scientiam mediam*.

XXIII. *Scientia simplicis intelligentiæ* est, quâ Deus novit semetipsum & quæcunque in ipsius essentia eminenter, ut possibilia, continentur. Ea quoque dicitur *Naturalis*: tum quia omne decretum voluntatis de rebus creandis antecedit; quoniam prius scire convenit, quid facere possis, quàm statuere quid facere velis; tum quia Deus necessariò & naturaliter hoc novit, quicquid fieri potest, sive possibile est, exclusâ omni actuali existentiâ; prius enim scire refert, quid fieri possit, & quænam entia sint possibilia, quàm scire omne possibile fieri posse, si facere velis.

XXIV. *Scientia visionis* est, quâ cognoscit, quicquid in aliquâ temporis differentiâ existit, i. e. res, quæ vel extiterunt

terunt aliquando, vel nunc existunt, vel olim existuræ sunt. Hæc *Libera* quoque appellatur; tum quia liberum decretum voluntatis sequitur, & quæ hoc modo cognoscuntur, non cognoscuntur necessario sed consequenter ad liberum Dei decretum, quo ipse decrevit, quæ ita cognoscuntur, vel facere vel permittere, ut fiant & sint in rerum naturâ. Per hanc verò cognoscuntur futura contingentia absoluta, seu quæ absolutè futura sunt, h. e. quæ causæ liberæ & ad agendum indeterminatæ aliquando producturæ sunt, atque hæc certam & determinatam habent veritatem, juxta quam cognoscibilia sunt & à Deo ab æterno præsciuntur; etiam si Arist. *l. de interpr.* negat, enunciationes singulares de futuro contingenti habere determinatam veritatē vel falsitatē, & existimet esse indifferentes: quia si enunciatio hujusmodi est determinatè vera vel falsa, tum non est amplius contingens, & tollitur rerum contingentia & ipsa quoque libertas arbitrij nostri, atque ita omnia necessario fieri necesse est. Sed respondeo negando tolli contingentiam, & vel minimum imminui libertatem arbitrij nostri. Nam si enunciatio de futuro contingenti est determinatè vera, tum non est indifferens ad futurum & non-futurum, sed nihilominus tamen est contingens; quia hæc duo simul consistere possunt, effectum aliquem esse contingentem, & eundem illum effectum simul quoque esse determinatè futurum: nam effectus contingens dicitur, quia causa indifferenter se habet ad operandum & non-operandum; determinatè verò futurus, quia causa, quæ potest operari & non-operari, re ipsa verè operatura est.

XXV. Hinc patet determinationem effectus futuri non excludere indifferentiam causæ & virtutis ejus, sed cum eâ consistere posse, & tantum tollere indifferentiam
actio-

actionis. Indifferentia enim causæ in eo consistit, quòd sit indifferens ad operandum & non-operandum; atq; hæc necessaria est, ut effectus futurus sit & dicatur contingens. Determinatio actionis in eo ponitur, quòd actio sit verè secutura, etiã si intermitti possit; atque hæc determinatio effectus futuri contingentis tantùm infertur, stante & permanente indifferentiã causæ.

XXVI. Ut verò simul explicemus & probemus hæc contingentia habere determinatam veritatem aut falsitatem sed contingentem, operæ pretium est observare, quid sit determinata veritas: nam sic certò constare potest, an futuris contingentibus illa verè competat. Determinata veritas duo hæc habet, *primò* quòd sit distincta non confusa; uti confusa est, quæ reperitur in propositionibus æquivocis; ut in hac, canis movetur: prædicatum enim de subjecto non verificatur distinctè & ideo confusa & quasi suspensa manet veritas. *Secundò* quòd sit actualis, siue quòd in ordine ad actuale significatum accipiatur. Nam si solum sit in potentia indifferenti, suspensa dicetur enunciatio à veritate. Actuale autem significatum enunciationis illud dicitur, quod actu est in rerum naturâ, tempore significato per copulam ejus; ita ut si sit enunciatio de præfenti, actualem habeat veritatem ac determinatam, si res significata existat tempore præfenti. Si sit de præterito, determinate vera erit, si ejus significatum aliquando fuit in rerum naturâ. Si verò enunciatio sit de futuro, erit determinatè vera, si ejus significatum aliquando futurum est in rerum natura; ut hæc enunciatio, sol cras orietur, determinatè vera est hodie, quia ejus significatum crastino die erit in rerum naturâ.

XXVII. Præterea observandum est, propositionem de futuro, sicut de præterito duplicem esse, unam quæ determi-

terminat aliquod certum tempus, ut hæc, *Petrus cras disputabit*; alteram, quæ nullum certum tempus determinat, sed totum tempus futurum quasi indefinitè significat, ut *Petrus disputabit*. Ut igitur determinatè vera sit prior, necesse est disputationem Petri futuram esse die crastino; ut autem posterior, sufficit, si habitura sit aliquando suum esse actuale, ita ut tunc verum sit de præsentì, *Petrus disputat*.

XXIIX. Nunc itaque hujusmodi contingentia habere determinatam veritatem, sic ostendimus: Cujus enunciationis significatum habet jam determinatum esse de præsentì, illius etiam significatum habuit heri & ante mille annos & ab æterno determinatum esse de futuro. At significatum hujus enunciationis, *Petrus disputat*, habet jam determinatum esse de præsentì; Petri enim disputatione ut nunc supponimus, habet jam determinatum esse actuale & distinctum extra suas causas: ergo significatum hujus enunciationis, *Petrus disputabit*, habuit heri & ante mille annos & ab æterno determinatum esse de futuro. Consequentia probatur, quia veritas enunciationis de futuro æstimatur ex ejus significato, & ejusdem determinata veritas ex determinatione ejusdem significati: nam etiam si enunciatio de futuro nullam habeat determinationem præsentem; habet tamen determinationem futuram, quam significat, & quidem contingentem; cum sic e.g. futura sit disputatione determinata, ut possit non esse: nec enim hoc tollit futuram ejus determinationem, sed potius ostendit determinatam ejus veritatem non esse necessariam sed contingentem. Deinde si significatum hujus enunciationis, *Petrus disputabit*, habuit heri determinatum esse de futuro, utique enunciatio ipsa, quæ illud de futuro enunciat, habuit heri determinatam veritatem. Cujus enim enunci-

C

nunci-



nunciationis significatum determinatè est futurum, illa ipsa enunciatio, quæ illud de futuro enunciat, determinatè jam vera est; quia ex determinato significato enunciationis de futuro colligitur determinata ejusdem enunciationis de futuro veritas, sicuti ex determinato significato enunciationis de præsentì colligitur determinata ejusdem enunciationis de præsentì veritas.

XXIX. Sed inquires, propositionem illam, *Petrus ambulat aut non ambulat*, veram esse in sensu disjuncto & confuso, non in sensu disjunctivo & determinato, & ideo necesse non esse, alterutram partem determinatè veram esse. Sed respondeo hanc confusionem oriri à nostro intellectu ejusque cognitione, quia nos non sumus adeo perspicaces, ut pervideamus, utra pars illius disjunctivæ verificanda sit, etiamsi in re ipsa non possit non esse vera. Rectè enim inquit Mendoza disp. 9, de Animâ subsect. 2, n. 46, *res esse indeterminatas & vagas, tantum est extrinseca denominatio ab intellectu vel voluntate; in ipsis autem rebus omnia sunt determinatè, aut determinatè non sunt; ergo cum propositio de futuro contingenti in se sit vera vel falsa, erit determinatè vera, vel determinatè falsa; alioquin non erit vera vel falsa disiunctim: & mox subjungit: Verum est, à nobis dici illas propositiones veras vel falsas disiunctivè sive disiunctim, non quia illis à parte rei non conveniat determinatè veritas vel falsitas determinatè, sed cum simus incerti futurorum eventuum, non possumus clarè cognoscere veritatem aut falsitatem propositionum. Hinc deceptus est Aristoteles, quia modum nostrum concipiendi rebus ipsis attribuit.*

XXX. Sed idem porro sic confirmatur; si contingat hodie Petrum ambulare, ergo eadem propositio heri de futuro prolata determinatè fuit vera: nam si heri de futuro prolata non fuit vera, quomodo hæc, *Petrus ambulat*,
quam

quam supponebamus, nunc determinatè vera esse potest & semper enim conformis fuit objecto, quia ita revera futurum fuit, uti per eam significabatur; proinde existentia talis rei non dat primùm veritatem propositioni, sed potius ostendit nobis eam, utpote hætenus incognitam. Accedit, quòd illa propositio de futuro contingenti eo ipse momento temporis, quo Petrus ambulat, non primùm incipit sed potius desinit esse vera, & de præsentis primùm vera esse incipit. Denique idem ex ipsa enunciatione sic ostenditur: nam cum ajo, *Petrus ambulabit*, vel affirmo tantùm Petrum indifferenter se habere ad ambulandum, vel determinate ambulaturum. Prius certè plane falsum est, tum quia est contra vim & significationem manifestam verborum; tum quia aliàs hæ non essent contradictoriæ, *Petrus ambulabit*, *Petrus non ambulabit*, sed potius idem per utramque significaretur; id quod est impossibile. Quare posterius erit verum. Sed tum id, quod tunc affirmatur, ut *Petrus ambulabit*, est conforme objecto vel non conforme, ergo enunciatio necessario est determinatè vera vel non determinatè vera seu determinatè falsa. Idem etiam verificatur de universalibus propositionibus contradictoriis; alteram enim determinatè veram, alteram determinatè falsam esse oportet, id quod ipse Philosophus 4 Metaph. c. 7 non diffitetur. Nec refert nobis certò non constare, utra earum determinatè vera sit, ut ut alterutram earum veram esse oporteat: Deus enim infinitâ suâ intelligendi virtute & æterno lumine perspicacissimo penetrat & pervidet omnia & comprehendit omnia, nec decempedâ nostræ rationis finitæ infinitam & eminentissimam ejus intellectus perspicacitatem ac scientiam metiri nos decet. Nam suppositâ rerum creatarum vel creabilium veritate vel cognoscibilitate, eam Deus non potest non cognosce-

re, non quòd Deus illis indigeat, sed quòd necessitate quadam naturali hujusmodi cognitio consequatur ad divinam perfectionem.

XXXI. Scientia *Media* partim cum naturali, partim cum liberâ convenit; cum illâ, quia præcedit omnem actum liberum voluntatis divinæ; cum hac, quia sicut Deus per scientiam liberam potuisset res futuras non cognoscere, si statuisset eas non producere; ita etiam per scientiam mediam potuisset non præscire ea, quæ angeli & homines revera facturi sunt, si pro suâ libertate non fuissent ea facturi, sed aliquid aliud, ut hæc exponit Becanus Theolog. Scholast. p. I, c. x, q. I.

XXXII. Hæc scientia pro objecto habet futura contingentia conditionata, quæ existerent, si conditio talis vel talis poneretur; sic Deus ab æterno per hanc non absolute sed sub conditione cognovit, quid Adam factururus fuisset, si prius quàm Eva à diabolo immediate tentatus fuisset. Verùm hujusmodi contingentium conditionatorum nec antecedens nec consequens actu in aliqua temporis differentiâ ponuntur: si verò poneretur antecedens, ad illud sequeretur & consequens, utpote dependens tantùm à tali conditione; quæ si non poneretur, nec consequens poni posset. Omnis autem difficultas in his conditionatis posita est in eo, quòd cōditio adponatur; quæ si purificetur & impleatur, major difficultas hîc nõ relinquitur, quàm quæ est in contingētib⁹ absolutis. Certè si Adam prius quàm Eva à diabolo immediate tentatus fuisset, ab arbore vetitâ manū abstinuisset vel non abstinuisset, & quidem determinatè & præcisè alterutrum fecisset: nam uti alterutrum in hisce enunciationibus verum est, ita alterutrum fieri quoque necesse est. Cæterùm alterutrum determinatè verum esse in his enunciationibus, sic probatur: propositio conditionalis

lis

lis de futuro non differt ab absoluta nisi conditione; quæ purificatâ, redditur absoluta. Sed hæc determinatè est vera; ergo & illa determinatè vera est. Minor probatur inde, quia veritas determinata colligitur ex determinato ejus significato: sed significatum hujus enunciationis, *Petrus disputabit*, habebit aliquando esse determinatum de præfenti, quia disputatio illa aliquando erit actu vel esse actuale habebit, & sic erit extra causas suas; ergo habet jam esse determinatum de futuro, & consequenter propositio, quæ illud enunciat, erit determinatè vera, cum ejus significatum sit determinatè futurum, ut suprà pluribus ostendimus.

XXXIII. Consideremus nunc causæ primæ volitionem. Vti scientia Dei secundum se unica est, ratione verò objectorum multiplex, ita voluntas Dei secundum se unica est, sed ex parte objectorum multiplex, & uti intelligibile & quod est verum, est ejus intellectûs objectum, ita appetibile & quod est bonum, est ejus voluntatis objectum. Non verò perfectionis est & necessarium, ut velit omne appetibile & omne bonum, uti perfectionis est & necessarium, ut cognoscat omne cognoscibile & omne verum. Quod autem bonum cognoscit tamquam sibi vel ad suum esse, vel ad felicitatem & perfectionem necessarium, hoc etiam necessariò vult. At semetipsum & suammet bonitatem cognoscit tamquam sibi vel ad suum esse, vel ad felicitatem & perfectionem necessariam; igitur semetipsum & suammet bonitatem necessariò vult. Se verò & suam bonitatem non solùm necessariò vult quoad specificationem actûs, sed etiam quoad exercitium actûs. Prius ita patet, quia Deus est summum & infinitum bonum, ideo non potest seipsum odisse; ergo necessariò amat se quoad specificationem actûs: posterius sic ostenditur, quia in Deo non

potest esse mutatio, ergo aut diligit se necessariò, aut non diligit se necessariò. Non posterius, quia si quis incipit aliquid velle, quod antè non volebat, aut desinit velle, quod antè volebat, semper necessaria est aliqua mutatio aut in volente aut in re volitâ. Iam verò Deus in dilectione sui est simul volens & res volita, idcirco deberet in ipso fieri aliqua mutatio, si non necessariò se diligeret: ergo prius, nempe Deus diligit se necessariò. Nec hæc necessitas amandi se arguit aliquam imperfectionem, quia est naturalis, vitalis & summè voluntaria. Imò hæc necessitas perfectior est, quàm esset libertas opposita, quæ includeret potentiam carendi actu amoris circa summum bonum, quæ utique magna foret imperfectio.

XXXIV. Cætera verò objecta secundaria, extra ipsum posita, non vult necessariò sed liberè sive contingenter. Nec contingentia hæc imperfectionem aut mutabilitatem significat: *Contingentia enim, ut notat Suarez Disp. Metaph. 30. s. 16, n. 43, si solum significet indifferentiam quandam, quam effectus habet in ordine ad suam causam, in quantum ex vi eius potest esse & non esse, sic non est dubium, quin tales effectus sint contingentes; quin hoc nihil aliud est, quàm non esse simpliciter necessarios. Constat enim voluntatem divinam, etsi in se quoad suum esse necessaria sit, non tamen in ratione cause, quia non habet necessariam habitudinem ad objecta secundaria, ut rectè Thomas notavit, p. 1, q. 19, a. 3, ad 4 cum ait: Dicendum quod aliquando aliqua causa necessaria habet non necessariam habitudinem ad aliquem effectum, quod est propter defectum effectus & non propter defectum cause, sicut virtus solis habet non necessariam habitudinem ad aliquid eorum, quæ contingenter hic eveniunt, non propter defectam virtutis solaris, sed propter defectum effectus non necessariò ex causa provenientis. Et similiter quod Deus non ex necessitate velit aliquid eorum,*
que

quæ vult, non accidit ex defectu voluntatis divinæ, sed ex defectu, qui competit volito secundum suam rationem, quia scilicet est tale, ut sine eo esse possit perfecta bonitas Dei. Qui quidem defectus consequitur omne bonum creatum. Si autem, inquit iterum Suarez loc. cit. contingentiæ præter indifferentiam includit aliquam imperfectionem; sic clarum est non esse de ratione causæ liberæ, & ideo non sequi Deum esse causam contingentem, etiamsi libera sit. Atque hoc modo Thomas in 1. dist. 43, q. 2, ar. 1 ad 4 dicit; non est dicendum voluntatem Dei esse contingentem, aut operationem ipsius, quia contingentiæ mutabilitatem importat, quæ in Deo nulla est. Atq; hic modus loquendi cautior est, quamvis inter homines doctos sæpe soleant effectus contingentes appellari propter solam indifferentiam causæ.

XXXV. Deus itaque nullum secundarium objectum potest absolute & necessario velle, quia nullum ipsi est necessarium vel ad suum esse, vel ad felicitatem, vel ad consummatam suam perfectionem; prima igitur causa objecta secundaria ita vult, ut possit non velle h. e. vult liberè. Velle verò infinitum cum sit actus entis infiniti intrinsecus, ideo nihil aliud est quam ipsum infinitum esse, ad modum actus vitalis significatum; nec hic actus volitionis ullo modo dicendus indifferens quoad suum esse sed quoad terminari suum ad objecta secundaria. Necessarius verò est quoad suum esse, & necessario quoque terminatur ad objectum suum primum; sicuti quælibet potentia dicit necessariam habitudinem ad proprium & principale objectum, ut visus ad colorem; quia de sui ratione est, ut in illud tendat. At non item necessario terminatur ad aliquod objectum extrinsecum sive secundarium, sed respectu hujus indifferentiam habet, nec cum hoc necessariam connexionem; proinde in illud liberè fertur, illud liberè attingit cum dominio in idem illud objectum, nul-

nullâ factâ sui mutatione aut reali additione. Hic actus est purissimus & ultimus, qui volentem constituit & objecta attingit cum eminenti quadam potestate & indifferentiâ ad attingendum & non attingendum objecta secundaria. Hic actus ex vi simplicissimæ suæ entitatis, quam totam necessariò habet, sufficit ad amandum unumquodque juxta mensuram & proportionem bonitatis ejus. Hoc actu ultimo & purissimo Deus semetipsum tamquam summum & maximè necessarium bonum necessariò amat; cætera verò bona omnia non necessaria non necessariò sed liberè. Quin cætera objecta amat non alio actu, nec per aliquid additum ipsi actui vult, quàm illo met quo se amat, & quo posset non amare alia, si vellet. Quæ omnia ita explicat Suarez opusc. 4 Theol. de Libertate voluntatis divinæ in actionibus suis, Disp. 1, s. 2 n. 24; *Est in Deo voluntas per modum actus purissimi: nam sicut Deus est ipsum esse per essentiam, & suum intelligere, ita etiam est suum velle. Unde sicut absolutâ necessitate Deus est, & eadem necessitate intelligit, ita etiam simili necessitate vult, & habet suum velle secundum se & absolutè spectatum, quod in se nec minui, nec augeri potest, cum sit purus & infinitus actus. Nihilominus tamen tanta est eminentia illius actus ut illo possit Deus unumquodq; objectum amabile iuxta mensuram & dignitatem eius vel necessariò vel liberè diligere aut etiam odio habere. Nam se ipsum suamq; naturam & personas, cum sit infinitum bonum, sibiq; sufficiens, absolutâ necessitate diligit; tum quoad speciem actus, quia non potest se ipsum odio habere, sed solum amare; tum etiam quoad exercitium, quia non magis potest Deus à sui amore desistere, quàm esse desinere. Nihilominus tamen quoad terminationem seu ad volendum res alias extra se, necessitati non est subiectus. --- Est igitur liber actus ille quoad hoc, ut sit ratio actualiter volendi & operandi aliquid extra ipsum Deum. Dico autem volen-*

volendi & operandi, quia non solum operatio ipsa, quæ est extra Deum, libera est Deo, sed etiã voluntas ipsa quatenus est amor talis operationis, seu affectus eius. Nã Deus ideo operatur ad extra, quia vult; & ideo benefacit, quia amat. — Idẽ ergo met actus, qui secundũ suum esse necessarius est, in Deo habet perfectissimam rationem liberi arbitrij, non quia per ulteriorem actum, aut realem modum superadditum, vel carentiam eius possit ad hoc vel illud obiectum secundarium terminari, aut non terminari: sed quia per seipsum potest Deus aut velle aut non velle talia obiecta pro suã eminenti virtute aut libertate. Quod quidem difficile est ad intelligendum & difficilius ad explicandum, quomodo sit: nobis autem satis esse debet, si ex principiis fidei imò etiam ex evidentibus ostendamus, ita esse: nam de rebus divinis raro aut numquam percipere possumus, quomodo in se sint; quamquam ostendere possumus, nullam in eis repugnantiam involvi. Verũm hæc omnia summæ actualitati & infinitæ ac ineffabili perfectioni Dei accepta referimus, non veriti ingenuè fateri cum eodem Suaresio, Disp. 1, Met. 30, s. 9, n. 35; in huiusmodi rebus id de Deo esse credendum, quod ineffabili eius perfectioni magis sit consentaneum, quodq; ab omni imperfectione alienum sit, etiam si modum, quo id Deo conveniat, non assequamur: malumus enim dignè, & ut fides nos docet, sentire de Deo, & ignorantiam in huiusmodi quæstionibus arduis expediendis agnoscere ac fateri, quàm temerè & subtiliter divina hæc, nullã præsertim urgente necessitate, scrutari. Atq; tantũ de Necessitate & Contingentiã operationum causæ primæ.

XXXVI. Cæterũm juxta hujus causæ voluntatem liberam & ordinationem divinitus sancitam, causarum secundarum alię necessariò agunt, alię contingenter: nam à quo dependent quoad esse suũ & modũ essendi, ab eodem quoq; dependent quoad operari suum & modum operandi. Quæ igitur, positis omnibus ad agendũ requisitis, non possunt non agere, necessariò agunt. Quare si omnia

D

necef-

necessaria, quibus ad operandum indigent & quæ adesse
requiruntur, adsint, tum hæc causæ secundæ non possunt
non agere.

XXXVII. Itaq; in his causis prærequiritur integra &
sufficiens virtus agendi; præsentia aliarum concausarum;
materia capax & idonea; medium expeditum & rectè con-
stitutum. deniq; necesse est, ut nullum hic sit impediens,
quod vel æquali vel majori virtute possit resistere. Vbi no-
tabis concursum causæ primæ ab his requisitis non ex-
cludi, sed sub illis comprehendi. Nam per concursum in-
telligis vel actualem, vel, ut ita loquar, aptitudinalem seu
sufficientem applicationem & conjunctionem causæ pri-
mæ ad concurrentium: si illum, tum is non distinguitur
ab actione; uti igitur actio istis requisitis ad agendum nõ
annumeratur nec annumerari debet, ita nec actualis con-
cursus: sin hunc, sic utiq; est necessaria conditio, sed quæ
modò sub enumeratis continetur. Nam si ad agendum re-
quiritur, ut causæ secundæ integræ & sufficiente virtute a-
gendi instructa sit, tum utiq; sine concursu & virtute pri-
mæ integræ esse nequit. Si verò eam nihilominus integræ
in suo genere dixeris, tum indigebit præsentia & con-
junctione omnis alterius concausæ necessariæ in quocunque
genere vel ratione causandi, atq; sic jam cõcursum causæ
primæ ab enumeratis conditionibus non exclusum esse
vides. His igitur requisitis ad agendum positis, corpus
grave non potest non ferri deorsum. Vnum verò requisi-
torum si desit, nulla sequitur actio, non quidem ex indif-
ferentiâ vel indeterminatione causæ, sed ex defectu ali-
cujus conditionis necessariæ ad operandum. Hæc requi-
sita naturâ antecedunt ipsam actionem, & actio concomi-
tanter ponitur. Hac enim positâ causæ secundæ non potest
non operari; uti qui currit non potest non movere pedes.
Sed hæc Necessitas est consequentiæ, non consequentis.

Igi-

Igitur non modò actio, sed quicquid actione posterius
est, ab istis requisitis excluditur.

XXXIIX. Sed nec adhuc videntur enumeratæ conditio-
nes sufficere, quia causa naturalis, etiamsi determinata
sit semper ad unum effectum unius speciei producendum,
tamen videtur esse indifferens ad varios individuos & sin-
gulares ejusdem speciei effectus producendos: igitur
necessariò requiritur alia adhuc peculiaris conditio ad
tollendam illam indifferentiam. Verùm causarum se-
cundarum determinationem ad hunc potius effectum
singularem quàm illum producendum à concursu causæ
primæ oriri, satis probabiliter à nonnullis asseritur. Nec
est quod obijcias, talem indifferentiam ultimam repu-
gnare ordini naturæ debito, naturali rerum constitutio-
ni & perfectioni. Nam quòd hæc agentia non possint se
determinare ad individuos effectus producendos, nisi à
primâ causâ determinatio illa oriatur, non est contra
naturæ constitutionem, sed est potius naturalis imperfe-
ctio & indigentia talium agentium & quædam subordi-
natio, quam ad causam primam habent; propter quam
veluti instrumenta quædam censentur, & ideo sicuti ab
ea pendent in operando, ita quoque in determinatione
ad producendum hunc potius effectum quàm illum. Imò
ex eo patet, opus naturæ esse opus quoque causæ primæ,
& effectum quamvis necessarium respectu causæ particu-
laris, esse liberum respectu causæ universalis. Igitur in
causis naturaliter agentibus non est indifferentia proprie-
dicta, quæ necessitati agendi repugnet, quominus talis
causa, positis omnibus requisitis ad agendum, ex necessi-
tate operetur. Nec hîc fortè magis causæ imperfe-
ctionem vel inordinationem naturæ, quàm in generatio-
ne animalium & viventium perfectorum; ubi Deum tan-
quam authorem & conservatorem naturæ, quiq; omni-



bus rebus modo convenienti prospicit, suo concursu debito supplere, quicquid virtutis deest proximis causis, verosimile est: nam fortè aliter apta non sunt commu- nicare & propagare naturam suam; uti alioquin in gene- ratione hominum certissimum est.

XXXIX. Caterum ut è diverticulo in viam redeamus. Causa prima potest, ubi voluerit, suum concursum denegare & subtrahere causis secundis, & virtu- te infinites superiore & potentiore qualemcumq; secundam impedire: igitur nullus effectus respectu causæ primæ universalis est necessarius sed liber; quam- vis necessarius sit respectu causæ secundæ particularis proximæ.


XL. Porro instituti ratio exigit, ut adhuc paucis exponamus modum caus- sandi seu operandi causis secundis congruum. Scire itaq; refert, uti adæquata ratio & radix libertatis est usus rationis, ita carentiam usûs rationis esse adæ- quatam causam carentiæ libertatis & necessitatis in operando. Id quod si opus foret, inductione facillè evinci posset. Insuper si intrinsecam & quasi positivam radicem hujusmodi operandi investigare velis, nullam aliam reperis præter i- psam naturam alium rerum seu facultatum: hæ enim ex natura sua habent hanc determinationem ad operandum, eò quòd non sint adeo perfectæ, ut do- minij in suas operationes participes reddi iisq; dominari possint.

XLI. Ethè verò hæ causæ determinatæ sunt ad unum plerumq; producendū; tamen eas interdum sed rarò contingit deficere; rarò enim contingit nasci ho- minem, qui habeat solito plures vel pauciores digitos, aut pedes, aut capita. In sublunaribus autem hæ causæ in operando sæpius deficere, nos non sinit igno- rare generatio corporum sublunarium & mixtorum, quia ibi sæpenumero se in- vicem mutuo turbant, ac per resistantiam vel contrariam actionem impediunt; & ubi hoc fit, unum & alterum ex enumeratis requisitis tollitur, vel impeditur, vel rectè se non habet, & effectus debitus aut prorsus non producitur, aut secundum quid alius fit & est. Id quod corporibus sublunaribus & mixtis accidit tum ob variam contrarietatem efficientium, tum ob inde ortam materierum habitudi- nem diversam.

XLII. Rationales verò potentia naturalibus seu rationis expertibus contra- riæ, indifferentes sunt ad opposita, uti nos docet Philosophus 9 Metaph. c. 2: nam ratio est fundamentum libertatis, proinde ubi nulla est ratio seu nullus intelle- ctus & nullus usus rationis, ibi quoq; nulla libertas & nullus usus libertatis. Po- tentia itaq; rationalis, positis omnibus requisitis ad agendum, est indifferens indifferentiæ & contradictionis & contrarietatis, ita ut in ejus potestate sit non tantum in diversa & contraria objecta ferri, sed etiam contrarios actus circa i- dem numero objectum, ipso & alijs omnibus requisitis eodem modo sese haben- tibus, exercere. Quod itaq; hoc modo est contingens, ad unam aliquam contra- dictionis partem non magis quam alteram propendet, sed æqualiter ad utramque. Tantum de Necessitate & Con- tingentiâ.

F I N I S.





c fi
â.
em,
rmi
pli
llet
nis
nte
stit
oc
m ef
ori n
e in
m ce
e, d
is, q
& e
mmu
ctit
de si
gens
axta
na e
statu
ris; c
as ur
sub
ciun
Optis
m ni
n ita
mpl
s: ra
ò m
natu
suu
disc
fiste
a int
erm
e pro
, ub
E



54

DISPUTATIO METAPHYSICA
DE
NECESSITATE ET CONTIN-
GENTIA,
QVAM

SVB PRAESIDIO
CLARISSIMI VIRI,
M. IOHANNIS HOMBORGII
PHYSICÆ PROFESSORIS OR-
DINARI

In Academiâ Iuliâ

VII KL. Iunias

publico examini subijcit

BERNHARDVS Böhmer
Cellensis.



HELM AESTADI,
Typis HENNINGI MULLERI acad. typ.

CIO IO C XLVII.

